



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

III. An Deus, & quænam potentiæ, fingere possint entia rationis strictè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

ab anima objectivè secundum esse reale possibilitabilis, ergò &c. Probatur minor, quia chimæra est essentialiter impossibilis, & ut foret ens rationis strictè, deberet posse ab anima concipi secundum esse reale possibilis, ac proinde simul esse possibilis & impossibilis, ergò &c.

LXV. Respondeo 1. retorquendo majorem: impossibile est idem simul esse singulare & universale, sed hoc fieri deberet, si Petrus & Paulus, ad hoc ut forent universale, accipi deberent quatenus ab anima secundum esse intentionale, unum: ergò &c.

LXVI. Respondeo 2. distinguendo majorem. Impossibile est apprehendere idem simul esse impossibile in actu signato sive ex parte sua, & possibile in actu signato sive ex parte sua, concedo majorem; idem simul esse impossibile in actu signato sive ex parte sua, & possibile in actu exercito sive ex parte actus, abstrahendo ab eo quod sit impossibile in actu signato & ex parte sua nego majorem: nihil autem aliud in proposito fieri debet.

LXVII. Adde ens rationis communiter assignari duplex, unum simplex, alterum compositum: simplex est quidpiam simplex impossibile, vel possibile, quatenus ab anima &c., ut supra: compositum est enuntiabile, aliquod impossibile, vel possibile, quatenus ab anima &c., etiam ut supra.

RESOLUTIO V.

LXVIII. **D**ico 5. contra Iamdunum, Vallesium, Mayronium, Erice 1. p. disp. 18. Caramuellem &c., datur ens rationis strictè tam compositum, quam simplex.

LXIX. Probatur, quia in eo nulla implicantia, & experientia docet nos propositiones impossibiles sapius apprehendere ut possibiles; item & res simplices impossibiles ut possibiles, & è contrà, ergò &c.

LXX. Dices 1. intelligibilitas est proprietas entis realis, ergò ens rationis strictè non est intelligibile, ac per consequens non datur.

LXXI. Confirmatur. Ens rationis non est in sensu, ergò nec in intellectu: quia nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, ergò non datur.

LXXII. Respondeo distinguendo antecedens: intelligibilitas entis realis est proprietas entis realis, concedo antecedens; entis tam rationis strictè, quam realis, nego antecedens.

LXXIII. Ad Confirmationem.

Respondeo distinguendo antecedens, ens rationis non est in sensu formaliter & secundum se, concedo antecedens; occasionaliter sive occasione ab aliis accepta, uti sunt substantiæ, nego antecedens.

LXXIV. Dices 2. si detur ens rationis, sequitur dari duo contradictoria simul vera, esse scilicet ens rationis, & non esse, ergò &c.

LXXV. Probabis Sequelam, quia cum negatio entis rationis sit ens impossibile per intellectum possibilitabile, hoc ipso quod concipitur possibile, est ens rationis, ac proinde negatio entis rationis est ens rationis, in quo duo contradictoria sunt simul vera.

LXXVI. Respondet Pater Comptonus loco supra citato, negationem illam habere aliud esse, quam

objectivè in intellectu, ac proinde, hoc ipso quod concipitur, non esse ens rationis: sed primum esse falsum patet ex Resol. 1. secundum similitudinem esse falsum patet ex Resol. 2. Quare aliter

LXXVII. Respondeo negando sequelam; ad ejus probationem respondeo negationem entis rationis actualis esse ens rationis possibile, & illam non esse dum est ens rationis actuale, vel, dum illa est, non esse ens rationis actuale; negatio enim entis rationis actualis est ens impossibile per intellectum possibilitabile; ens verò rationis actuale est ens impossibile per intellectum de facto possibilitatum, ac proinde dic contradictoria numquam esse simul vera: undè isto quidem argumento valde premuntur omnes, qui ens rationis per esse actu cognitum essentialiter definiunt; sed non est cur propter illud Sotus & alii dicant, dari non posse entia rationis strictè, ut patet.

DUBIUM III.

An Deus? & quam potentia, fingere possint entia rationis strictè.

LXXVIII. **D**ico 1. fingere, & non efficere per actionem realem & physicam, quia ita effici proprium est entis realis; fingi verò, entium rationis strictè; Dubium autem procedere potest de intellectu, voluntate, phantasia & sensibus externis. Pro quo sit

RESOLUTIO I.

LXXIX. **D**ico 1. Sensus externi fingere non possunt entia rationis strictè.

LXXX. Probatur, quia ens rationis strictè semper fit per actum quasi reduplicativum, ut constat ex ipsius definitione: si enim sit ens reale, accipi debet ut in anima objectivè impossibilitabile secundum esse reale; si verò ens impossibile realiter, accipi debet ut in anima objectivè possibilitabile secundum esse reale, ad quæ requiritur reduplicatio super ens impossibilitabile, & super ens possibilitabile; sed sensus externi, nec sunt super ista objecta reduplicativi, nec attingere possunt tamquam objectum impossibilitabilitatem aut possibilitabilitatem entis; quia, ut experientia docet, sensus externi sunt ad unum objectum limitati, ut visus ad colorem, auditus ad sonum &c. ergò &c.

LXXXI. Dices, potest dari per Deum color affixus essentialiter loco A, qui tamen videatur in speculo in loco D existere, sed color ille ut in loco D existens est impossibilis, ergò potest visus ens reale objectivè secundum esse reale impossibilitare, ac per consequens facere ens rationis strictè.

LXXXII. Respondeo, transcant major & minor, nego consequentiam; quia licet visus colorem videat in speculo in loco D existere, non videt tamen ut possibilem ibi existere, sed tantum ut colorem ibi existentem, hæc enim non minùs sunt diversa, quam videre colorem, & videre possibilitatem coloris sive colorem ut possibilem.

LXXXIII. Adde quod ne quidem visus attingat ubi speculi aut coloris, ut dicitur in lib. de anima.

ma. Huic autem argumento non satisfacit Pater Ovidius Metaph. Controv. 12. dum solum respondet vel talem colorem non esse possibilem, vel non futurum objectum nostri visus, quæ gratis dicit.

RESOLUTIO II.

LXXXIV. **D**ico 2. Phantasia, sive potentia imaginativa fingere potest entia rationis strictè: est contra Murciam, Ovidium, Poncium &c.

LXXXV. Probatur, quia phantasia ex dicendis in libris de anima, est discursiva secundum quid, unde non secus ac intellectus potest ab objectis sensuum accipere occasionem impossibilia fingendi possibilia, & possibilia impossibilia; sic enim sapius canis imaginatur umbram esse hominem, à quo fustibus exceptus est; Petrus arbores, quas eminùs videt, esse milites &c. Sed ibi phantasia canis umbram possibilem quæ umbram, & Petrus arbores possibiles quæ arbores, phantasiando esse hominem, milites &c, impossibilitant, ergo &c.

LXXXVI. Nec dicas ad 1. cū R. P. Poncio Logice disp. 1. de ente rationis, canem non imaginari umbram esse hominem, sed hominem esse in loco umbræ, quod est possibile: quia, præterquam quod cur hoc potius, quam illud imaginetur, probari non posse videatur, cum illo casu inter umbram & hominem non distinguat, & distinguere debeat, si solum imaginetur hominē esse in loco umbræ; mihi verosimilis est, quod dicimus: eodem modo solvendum quod dicit canem non imaginari nisi umbram sub illa proportionē, sub qua convenit cum homine, à quo exceptus est fustibus, quomodo umbra est possibilis esse homo, secundum quod in illa cum umbra convenit; nam præterquam quod nec id videatur probari posse; licet sub illa tantum proportionē umbram videat, saltem ex illa proportionē inferat per phantasiam, umbram, quæ talem proportionem habet, esse hominem: quis enim credat aves cum rostro impetunt uvæ pictas, solum ex visu inferre, illas uvæ veras esse in loco pictarum, aut pictas habere proportionem cum veris, & non inferre pictas esse veras uvas?

RESOLUTIO III.

LXXXVII. **D**ico 3. Voluntas & appetitus sensitivus fingere possunt entia rationis strictè: est contra Murciam, Ovidium, Poncium, Comptonum &c.

LXXXVIII. Probatur, quia potest intellectus aut phantasia hircocervum à se cognitum ut possibilem representare voluntati, aut appetitui sensitivo ut bonum & amabilem; item privationem doloris à se cognitam ut formam positivam, representare ut bonam & amabilem &c: sed illo casu voluntas & appetitus sensitivus fingeret ens rationis strictè, ergo &c.

LXXXIX. Nec dicas cum R. Patre Comptono Logice disp. 1. quod isto casu voluntas non fingeret entia rationis, sed ficta amaret: nam, non fingeret quidem ficta, quæ dicuntur intellectualia; ficta tamen, quæ dicuntur volita fingeret, quia illis daret fictionem specie distinctam ab ea, quam antè habuerunt, sicut actus Pauli fingens hircocervum, dat illi fictionem numero distinctam ab actu Petri hircocervum fingente.

LXXXX. Nec infest, nulla potentia potest fingere ens rationis strictè, quæ non potest dare esse intentionale suo objecto, quod dare non potest voluntas: nam licet dare non possit esse intentionale intellectum, dare tamen potest esse intentionale volitum, sicut phantasia dare potest esse intentionale phantasticum: unde totum esse existentia entis rationis strictè non est solum cognosci, sed etiam appeti.

LXXXXI. Colliges ex præmissis conclusionibus à fortiori intellectum fingere posse entia rationis strictè.

RESOLUTIO IV.

LXXXXII. **D**ico 4. Cognitione Divinā inadæquate conceptā, & inadæquatione sumptā quatenus se tenet ex parte actus nostri formaliter præscindentis potest Deus primariò & immediatè per se fingere entia rationis strictè, sumendo ly *fingere* (non ut idem est, quod iudicio mendaci impossibile dicere objectivè possibile) ad sensum definitionis entis rationis strictè suprà à nobis allatæ, quamquam favorabilius sumi posset, prout idem est, quod intellectualiter depingere, figurare, formare &c. Ita Henricus, Fonseca, Gillius, Egidius Lusitanus & Scotistæ communiter.

LXXXXIII. Probatur conclusio; potest Deus formare has apprehensiones enuntiativas, *Deus est impossibile realiter; negatio est ens possibile realiter*; sed illis casibus fingit entia rationis strictè juxta definitionem à nobis allatam suprà, ergo &c. Probatur major, quia potest has, *Deus est impossibile realiter est propositio falsa, negatio est ens possibile realiter est propositio falsa*; sed subiecta harum sunt dictæ apprehensiones enuntiativæ, ergo &c. Probatur minor primi syllogismi, quia non potest Deus habere hanc apprehensionem enuntiativam, *Deus est impossibile realiter*, quin apprehendat Deum ut impossibilem realiter, quomodo facit ens rationis strictè, ut patet, ergo &c.

LXXXXIV. Confirmatur 1. possunt in eodem intellectu simul stare assensus & dissensus circa idem objectum per diversa media; item scientia, opinio, error &c; quid ni & cum cognitione experimentalis omninò certa, item & clarissima, de possibilitate entis, apprehensio impossibilitatis illius ob motivum aliquod particulare, v. g. ad exercitium intellectus circa tale objectum? potest enim simul cum cognitione clarissima totius Sanctissimæ Trinitatis, in Deo Patre esse cognitio consula sui & Spiritus Sancti, ut cum Pater dicit *Filius est Deus*, *Deus est incarnatus* &c, quia ly *Deus* ibi præscindit à Patre & Spiritu Sancto; quidni & cum clarissima judicativa possibilitatis ipsius Dei realiter, posset simul stare apprehensiva impossibilitatis ejusdem ob motivum aliquod particulare? in uno enim non videtur esse major imperfectio, quam in alio; & sicut nulla est imperfectio in Deo, entitatem ipsius Dei per præcisionem formalem extrinsecè & ex parte actus partiri in genus & differentiam, essentiam & attributa, in cognitionem omninò claram & confusam; ita non est imperfectio illam eandem ita partiri in cognitionem omninò claram possibilitatis entis realis, & apprehensivam impossibilitatis ejusdem ob aliud omninò motivum, pro quo attende ad dicenda

da

da infra Disp. 1. & de eo specialiùs in Theologia, quidquid alii dixerint, ergò &c.

LXXXV. Confirmatur 2. Sicut possum actum intellectiōis Dei perfectissimum ita formaliter præcindere à cæteris objectis, ut sit hujus tantum enuntiabilis; *Deus est realiter impossibilis est blasphemum*; sic illum eundem actum possum ita præcindere à prædicato istius propositionis, ut sit tantum sub mea formali præcisione apprehensio hujus, *Deus est realiter impossibilis*; quod non magis repugnat, quam quod sub mea formali præcisione sit tantum ens: sed isto casu fingit ens rationis strictè, ergò &c.

LXXXVI. Obijcies 1. Omnis cognitio falsa in Deo repugnat: sed apprehensio per quam faceret Deus ens rationis strictè, falsa esset, ergò &c. Minor & consequentia patent: probatur major, quia de fide est, Deum falli non posse, quo casu falleretur.

LXXXVII. Respondeo 1. retorquendo argumentum in cognitionem inadæquatam & confusam, quæ similiter in Deo repugnat, & tamen communiter admittitur, sensu paulò antè dato.

LXXXVIII. Respondeo 2. distinguendo majorem; cognitio falsa prout subest præcisioni objectivæ, in Deo repugnat, concedo majorem; & ratio est, quia illa ut sic esset intrinsecè falsa, quod repugnat summæ Dei veracitati & perspicacitati; prout subest præcisioni formali in Deo repugnat, nego; quia ut sic non est intrinsecè falsa, cum intrinsecè sit, & entitativè ipsa summa scientia & perfectissima rerum intuitio; sed ut subest meæ imperfectæ præcisioni formali, quod potius est hanc esse falsam, si vè falsò præcindentem cognitionis Dei perfectissimum actum in plures partes, cum sit simplicissima Dei entitas.

LXXXIX. Instabis, non minùs in Deo repugnat apprehensio falsa ut sub nostra præcisione formali, quam judicium falsum ut sub nostra præcisione formali; sed judicium ut sub nostra præcisione formali in Deo repugnat, non secus ac mentiri, ergò & apprehensio &c.

C. Respondeo negando sequelam majoris; quia judicium scienter falsum, quale illud esset in Deo, est mendax & malitiosum; quia in objectum tendit asserendo, si vè resolutivè sententiam ferendo; secus apprehensio falsa, quæ ut talis numquam tribuitur vitio, nec malitiosa dicitur; quia solum in objectum tendit cognoscendo & examinando ad sententiam ferendam de falsitate objecti; quæ apprehensio & examen propositionum hæreticarum, cum sit laudabile & perfectionis in Doctore Theologo, non potest esse in Deo ut extrinsecè tantum tale & sub nostra præcisione formali, ac intrinsecè summa, & summè clara ac infinitè certa scientia, vituperabile & imperfectionis, magis quam sit vituperabile & imperfectionis in Deo cognitio præcisi va præsentè adæquatà, confusa præsentè distinctà ejusdem objecti, modo ante explicato.

C1. Obijcies 2. Non potest Deus cognoscere objectum aliter ac est, ergò non potest facere ens rationis strictè.

C11. Respondeo distinguendo assumptum; non potest Deus cognoscere cognitione adæquatà formaliter, & prout est in Deo, objectum aliter quam est, concedo assumptum; cognitione inadæquatà formaliter, & prout subest nostræ præcisioni formali, nego assumptum; certissimum enim est cognitionem prout in Deo est & adæquatè formaliter sumptam, non posse esse falsam, aut tendere in objectum aliter ac est, sicut ita sumpta non potest esse confusa, examinativa & præcisi va; prout tamen sub nostra præcisione formali, & inadæquatà formaliter & ex parte nostræ præcisionis formalis sumpta, videtur necessariò esse posse falsa, & objecti aliter ac est: nam potest Deus hoc totum apprehendere, *Deus conceptus ut impossibilis, est conceptus conceptu fingente: Deus est impossibilis, est propositio falsa* &c; quo dato possum ipsius apprehensionem ut tendit in subjectum, à se ipsa præcindere ut tendit in prædicatum; ut verò tendit in subjectum dumtaxat, facit ens rationis, ut patet, est falsa &c; quia tamen cognitio Divina simpliciter accepta sonat cognitionem prout est in Deo realiter & ex parte ipsius, simpliciter aduitti, nec debet, nec potest dari aliquam cognitionem Divinam fingentem, falsam, confusam, examinativam &c; sed cum hoc addito cognitio Divina, prout subest præcisioni nostræ formali, potest esse ex parte actus præcipientis fingens, falsa &c; uti & inadæquatà: in quo nullum absurdum, quia totum in imperfectionem actus nostri præcipientis refunditur.

C111. Confirmatur 3. Ex S. Thom. 1. p. q. 14. art. 9. *Quæcumque igitur possunt per creaturam fieri, vel cogitari, vel dici, & etiam quæcumque facere potest, omnia cognoscit Deus: etiamsi actu non sint*. Atqui per hominem fieri, cogitari & dici potest *ens reale in anima objectivè impossibile*, & *ens impossibile in anima objectivè possibile*, ergò Deus per apprehensionem cognoscit ens reale in anima objectivè impossibile, & ens impossibile in anima objectivè possibile: Probatur consequentia; quia alioqui nesciret immediatè quid cogitaret homo, sed mediatè tantum, si vè mediante homine; quod imperfectionem & dependentiam ab homine perfectioni Divinæ cognitionis repugnantem dicit, ergò &c.

C1V. Nec dicas, Deum scire quidem immediatè quid cogitet homo; sed per dissensum tantum, & non per assensum, in quo solo est imperfectio; quia volumus tantum scire per apprehensionem, nisi per dissensum intelligas apprehensivum & non judicativum: si verò sciat per dissensum hunc, & dissensus, v. g. *Deus est impossibilis, non est vera propositio*, ut tendens in subjectum à seipso ut tendente in prædicatum, ratione formali præcindatur, æquivaleret apprehensioni huic, *Deus non est possibilis*, quæ est ens rationis strictè.